



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Vincentii Lerinensis Galli, Libellus Verè Avreus Adversus profanas Hæreseōn novationes

Vincentius <Lerinensis>

Coloniae, 1652

Quid contra prædictas hæreses de Deo & Salvatore nostro Catholica
sentiat Ecclesia. Caput XVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55177)

in locis scriptorum suorum unum
Christum, & unam Christi perso-
nam credere se jactitat: aut certe
post partum jam virginis, ita in
num Christum duas perhibet con-
venisse personas, ut tamen conce-
ptus seu partus virginis tempore,
aliquanto postea, duos Christos
se contendat. Et cum scilicet Chri-
stus homo communis primum &
solitarius natus sit, & necdum De-
Verbi personę unitate sociatus, post-
ea in eum adsumptis Verbi perso-
na descenderit: & licet nunc in De-
gloria maneat adsumptus aliquan-
diu, tamen nihil inter illum & ceteros
homines interfuisse videatur.

*Quid contra predictas hereses de Deo
& Salvatore nostro Catholica senten-
tiam Ecclesia.*

CAPUT XVIII.

HÆc ergo Nestorius, Apollina-
ris, Photinus adversus Catho-
licam fidem rabidi canes latrant
Photi.

Phorinus, Trinitatem non confi-
tendo: Apollinaris, convertibilem
Verbi dicendo naturam, & duas in
Christo substantias non confiten-
do: & aut totam Christi animam,
aut certè mentem atque rationem
in anima denegando, & adserendo
pro sensu mentis fuisse DEI Ver-
bum: Nestorius duos Christos, aut
semper esse, aut aliquamdiu fuisse
adseverando. Ecclesia verò Catho-
lica, & de Deo, & de Salvatore no-
stro recta sentiens, nec in Trinita-
tis mysterium, nec in CHRISTI in-
carnationem blasphematur: nam &
unam divinitatem in Trinitatis ple-
nitudine, & Trinitatis æqualita-
tem in una atque eadem majestate
veneratur, & unum CHRISTUM JE-
SUM non duos eundemque Deum
pariter atque hominem confitetur.
Unam quidem in eo personam, sed
duas substantias: duas substantias,
sed unam credit esse personam:
duas substantias, quia mutabile non
est Verbum Dei; ut ipsum vertere-
tur

tur in carnem: unam personam ne duos profitendo filios, quaternitatem videatur colere, non Trinitatem.

CAPUT. XIX.

Sed operæ precium est, ut id ipsum etiam atque etiam distinctius, & expressius enucleamus. In Deo una substantia sed tres personæ; in Christo duæ substantiæ, sed una persona. In Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud; In Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodo in trinitate alius, atque alius, non aliud atque aliud? Quia scilicet alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti: sed tamen Patris & Filij, & Spiritus sancti: non alia & alia, sed una eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius? Quia videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis: sed tamen deitas & humanitas non alter & alter, sed unus idemque Christus, unus idemque filius Dei, & unius eius.